

IN NOVVM COMETEM

T H. B.

*Iste nouus nullo furiali crine Cometes,
Et radians puro cui nitet igne iubar,
Ecquid portendat terris, Deus ille Deorum
Nouit, & ostendent tempore fata suo.
Quod si humanae aliquid possunt praesciscere mentes,
Talia scrutari nec mihi signa nefas:
Hic ille est, olim paruum Dauidis ad urbem
Duxit ab Eoo qui prius orbe Magos.
Et qui nascenti praeluxit, nunciat idem
Ecce redux reducem rursus adesse Deum.
Huic igitur felix ô turba applaude piorum:
Tu verò Herodes sanguinolente time.*

In eundem, Melissi.

*Proxima Cassiope gyro quæ circinat Arcton
Par radiis stelle, stella serena, Iouis,
Est oculus Christi, caram qui lumine fixo
Cautibus in duris aspicit Andromedam:
Andromedam rigidis vincetam sua colla catenis,
Cui variis inhiat bellua seu a modis.
Euge metus inter medios Ecclesia gaude:
Seruator Perseus hic tibi verus adest,
Qui Babyloniacæ caput abscidit ense Medusa.
Ille etiam dedet cætera monstra neci.
O tuba præcentrix venientis in aëre Christi,
Optatos miseræ clange repente sonos.*